



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Monitum primum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

S. Gertrud *Aeterna voluntas tua, Domine, fiat in nobis,*
In omni
eventu
contrario. *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum antequam*
Matt. II. Obmutui & non aperui os meum, quoniam
26. tu fecisti.
Pf 38. 10.

CAPUT XXXVI.

*Monita circa orationem a spirativam.**Monitum primum.*

Aspirationum finem non esse dumtaxat, ut in bono conservemur, sed etiam, quin & amplius, ut in illo proficiamus, atque in Dei amore incrementa sumamus, superius à nobis dictum fuit. Eapropter nequaquam satis est, ut semper in animo simus comparati ad nos ad Deum in occasionibus occurrentibus elevandos (quò dumtaxat spectare videntur ea, quæ diximus hactenus) verùm insuper oportet, ad hoc ut nos ipsos excitemus, connitendo, bonum aliquem cogitatum in nostro semper corde ut habeamus; ex quo velut proprio argumento jaculatorias atque ardentiores orationes queamus efformare. Ob cuius rei defectum ait noster eximius contemplativus Frater Joannes à S. Samphone, remanemus otiosi, quin sciamus, cui rei intendere debeamus. Non quod impossibile sit, ut nos occupemus, prout asserunt bene multi, sed quia voluntatem non excitamus, ut oportet, circa materias, quæ accendere possent atque inflammare. Atque ista continui atque ardentioris amoris occupatio vita esse deberet animarum, quotquot sunt ad Ordinem Carmeli-

melitanum electæ, ut Deum perfectè cognoscerent & amarent, veluti reverà hic finis est, ob quem creati atque ad istam sacram Religionem vocati sumus.

Monitum secundum.

TAmetsi aspirationum exercitium efficaciter exultum effectus sit ardentissimæ charitatis & cordis imprimis commoti opus, a quoque tametsi videatur proprium dumtaxat esse illis, qui jam in studio orationis progressus fecere non exiguos: quivis attamen juxta suam studere illi potest capacitatem. Et si verò initio cor illius non multum exciteretur aut inflammaretur, exercitium nihilominus ipsius optimum ac sanctissimum erit. Deinde ubi exercitium hoc porrò continuaverit, efficaciter ad Deum in corde suo se trahi animadvertet, quod proinde quiescere nullatenus poterit, nisi continuo loquatur, unumque se sentiat divinæ suæ Majestati. Quò ubi demum pervenerit, amor ipsius sibi ipsi sufficiens erit, ac idem eximius contemplativus. Hoc est, ubi semel hoc fuerit quis assecutus, nullis amplius indigebit præceptis, aut industriâ occupationis, sive ut materiam habeat, cui intendat; quia temporis successu aspiratio per Dei gratiam ita facilis animæ, ac penè naturalis evadit, ac pulmoni naturalis & facilis est respiratio.

Monitum tertium.

EXercitium istud quibuslibet Religiosis imprimè quidem necessarium est, singulariter tamen illi studere debent, qui meditari non possunt, quique exterioribus exercitiis multum